

Marcus diaconus, ejus minister, apud Sur. 26. febr. Gisulphum Longobard. regem, quia Arianis etiam in regno suo, studio pacis, ecclesias concessit, Cajarus Avarum rex, nulla lacessitus injuria, cum exercitu delevit; uxorem Romildam palo affixit; viros et adolescentes interfecit; mulieres et puellas vendidit; civitate et oppida, inter quæ forum Julium celeberrimum, everit, Paul. diac. l. IV. c. XII. de Longobard. Et quis nescit Germaniam usque hodie tempestatibus vexari, ex quo hæresim admisit? Hinc cruciatur Rebecca (Ecclesia) quod Jacob et Esau colliduntur in ejus utero: nec cruciari desinet, donec Esau ejiciatur.

II. Propter Judam, qui in navi Christi erat. Ita enim sentit S. Ambros. Lucæ V. *Etsi multa illic, inquit, discipulorum merita navigabant, tamen eam adhuc perfidia proditoris agitabat.* Cum eodem consentit Beda; licet vero Judas tunc nondum animum prodendi Christum haberet, ut plerique volunt, fur tamen et depeculator marsupii Christi erat, Joan. XII. Quare sicut ipse unicus proditor in ultima cœna turbavit sua præsentia totam mensam: ita modo velut unicus fur hujus tempestatibus causa fuit. Nec mirum: nonne enim aqua tepida stomacho nauseam creat, et ad vomitum provocat, non sine difficultate ac dolore? Christiani etiam catholici mali aqua tepida sunt, de qua Christus per Joannem, Apoc. III. episcopo Laodicæ scribit: *Utinam frigidus esses aut calidus; sed quia tepidus es, incipiam te vomere.* Sic enim S. Ambrosius, homil. II. in Psalmo CXVIII. per frigidus intelligit, qui peccant per ignorantiam; per tepidos, Christianos peccatores. Patet sane in Jona, quem alioqui Dei servum et prophetam, ab eo tamen profugum et inobedientem. navis non sustinuit: sed ne piscis quidem, qui eum post triduum, velut indigestibilem, iterum vomuit, ut Scriptura loquitur: quasi ex nausea ejecisset eum. Simile exemplum refertur in prato spirituali, cap. LXXIX. de femina parricida, quæ cum duos filios peremisset, navis, qua vehebatur, dies quindecim immota stetit, cæteris sociis navibus vento secundo progressis. Gubernator ergo navis, ad opem Dei recurrens responsum audiit divinum, ejiciendam mulierem, cui Mariæ nomen. Accitam igitur rogat, ut aperiat causam, ob quam cæteri omnes paterentur: illa se duos filios peremisse, ut sibi ad secundas nuptias viam aperiret, ac nec sic invenisse respondet. Tunc gubernator mulierem in scapham descendere jussit. Mirum, scapha mox quinque in gyrum agitata in imum cum muliere agitata est. Navis autem post hoc tanta velocitate iter peregit, ut triduo abiverit, quo quindecim diebus debuisset. Jam si

propter unum Jonam refractarium, propter unam impudicam et parricidam mulierem omnes cum eis navigantes plexi sunt, et a creaturis oppugnati: quid miramur si navis Ecclesiæ fluctibus variis agitetur, in qua tot mali vehuntur? Scimus totum Israeliticum populum punitum, ut non posset stare contra hostes, propter unum Achan furem, Jos. VII. Num unicum tantum Achan in Ecclesia esse putamus.

III. Propter discipulos, ut timore compulsi ad Christum accederent et orarent: erepti e periculo magis grati essent, et in fide roborarentur. Ita Origenes, hom. cit. gloss. ordinar. et Theophylactus, vulgo dicimus: *Qui nescit orare, eat ad mare.* Quod expertus imprimis Jonas, qui prius fugerat a facie Domini, post ejectionem in mare, et videns rictum immanis belluæ sibi obviantem ad se glutendum, confugit ad Dominum et oravit: *Clamavi de tribulatione mea ad Dominum:* pergitque vehementissime orare in ventre ceti; cum paulo ante in navi dormiret, Jonæ II. Clamavit nimirum territus aspectu et rictu tam immanis belluæ, ut notat S. Hieronymus. Sic nimirum et nos nisi calamitate perterrefacti, non curimus per preces piaque opera ad Deum. In vita S. Amandi episcopi Trajectens. scribit Milo monachus cœnobii S. Amandi, apud Surium 6. febr. navigasse eum aliquando, et verbo Dei nautas (qui ordinarie perversi, et non nisi coacti orant) informasse; inter hæc subito apparuisse magnum piscem, quem nautæ misso in mare reti ceperunt. Cumque eum coxissent et epularentur, mutisque plausibus exultarent, subito inopinata orta est tempesta, quæ omne eorum gaudium in luctum convertit. Cœperunt ergo omnia, quæ in navi habebant, tam quæ ad cibum pertinebant, quam reliqua subsidia universa, vel etiam ornamenta in pelagus projicere, et labori insistere, ut ad terram appellerent. Sed frustra erat; itaque ad S. Amandum confugere coacti, salutem invenerunt. Ita nimirum et nos mortales agimus, cum secunda fortuna nobis arridet, cum piscem alicujus lucris, honoris, voluptatis sese nobis offerentem cernimus, tum verbum Dei et curam salutis deponimus, moxque epulari et immergere nos in præsentia bona incipimus, Deique obliviscimur. Quid igitur agit Deus? Tempestatem nobis inopinatam immittit, hostium incursum, qui omnia nostra diripiunt: vel diuturnum morbum, quo substantiam nostram absumamus, pestem, famem, etc. ut vel sic a præsentibus bonis animam abducamus, navim conscientiæ a peccatis exoneremus, et ad placandum Deum, salutemque animæ quærendam excitemur.

IV. Propter nos nimium securos. Cum enim

CONCIO IV.

TRIA ASYLA SEU REFUGIA AFFLICTORUM.

Tria refugia Christi, navis, desertum, mons. — I. Navis, hoc est, conformitas cum Dei voluntate. — II. Desertum, h. e. conscientia bona. — III. Mons, h. e. spes.

THEMA.

Ascendente Jesu in naviculam, secuti sunt discipuli.
Matth. VIII.

Navigantem hodie cernimus Salvatorem nostrum. Sed quæ causa fuit hujus navigationis? Eam nobis exponit S. Matthæus, cap. VIII. dicens: *Videns autem Jesus turbas multas circum se, jussit ire trans fretum.* Postea interjectis quibusdam, quæ interea Christus dicebat et agebat, subjicit ipsius incensionem in naviculam. Turbæ igitur confluentes et Christum obruentes causa fuerunt, quod in navim coegit Dominum. Fuit proinde navis, asylum Christo Domino contra importunam turbam, non tamen sola.

Tria enim collegit S. Remigius Antisiodorensis in Matthæum (ut refert D. Thomas, III. part. quæ XL. artic. I.) ipsius refugia: navim, montem et desertum, ad quorum aliquod, quotiescumque a turbis comprimebatur se recipiebat; ad navim in hodierno evangelio; in montem fugit, Joan. cap. VI. quando eum rapere et regem facere populus cogitabat; in desertum secessit ad orandum, Luc. V. quando ad eum convenerunt turbæ multæ, ut audirent, et curarentur ab infirmitatibus suis. Neque vero existimandum, tria hæc refugia nullo sive mysterio, sive nostro documento a Christo, qui nec passum unum frustra fecit, fuisse delecta.

Quid igitur hæc asyla Christi, nisi tria præsentissima et securissima afflictorum et miserorum, justorum tamen, refugia demonstrant? Quid navis seu mare, nisi recursus ad divinam voluntatem, qui se illi committunt et permittunt, sicut navi et mari navigantes? Quid desertum seu solitudo, nisi bona et secura conscientia, in recessu cordis latens? Quid mons, nisi elevatio mentis in cœlum et spes partim opis et providentiæ divinæ, partim futuræ gloriæ, justis pro modico tribulationis eorum in cœlo præparatæ? Hæc ergo tria asyla in solatium piorum, qui hic affliguntur, nunc inspiciamus.

I. Est navis, h. e. recursus ad divinam voluntatem, et conformitas cum illa. Ut enim navis, et qui in ea vehuntur, vento et mari se committunt, et dicunt quodammodo cum Jobo, c. VII. *Memento Domine, quia ventus est vita nostra, ita etiam qui in Dei voluntatem totos se projiciunt, eique se per omnia regendos, gyrandos, et sus-*

somno non egeret Dominus, præsertim tali loco et tempore: videtur propter nos dormisse, ut intelligeremus socordiam et temeritatem nostram; qui in fluctuanti hujus mundi mari componimus nos ad quietem, voluptatem, delicias, et quod plus est, in peccatis altum obdormimus quasi hic esset locus stabilis securus, quietus, cum nequaquam sit. Videtur ergo dicere nobis: Vos estis qui in hoc fluctuanti mundi mori componitis vos ad somnum et quietem, nihil solliciti de naufragio salutis vestræ, ducitis in bonis dies vestros, et in puncto ad inferna descenditis. Itaque debeo excitare vos immittendo tempestatem famis, belli, pestis, morbi, hostium, etc. Similes sumus gliribus montanis in Vallesia, qui totam fere sub nive dormiunt hiemem, itaque dormientes e nidis et cubilibus suis, quæ in autumno infixis perticis prius notantur, a rusticis extrahuntur, et ad forum portati venduntur, inscii quid secum agatur. At ubi in calidum locum delati evigilant, sese in manibus hominum inveniunt, et jam cultrum vident jugulo appositum, sicque miseri sero nimis agnoscunt, quanto illis constiterit dormivisse. Refert noster Georgius Steng. in labyr. cap. XVII. num. XXVIII. Tales sunt quam plurimi homines, qui in voluptatibus suis obdormiscunt, suæ salutis obliti: interim capiuntur et illaqueantur vitis; sicque improvisa sæpe obruuntur morte, et prius se in inferno positos, quam se captos intelligant. Sic Lucas de epulone ait, quod elevarit oculos suos cum esset in tormentis, cap. XV. qui vivens in deliciis suis ita altum obdormierat, ut ad Lazarum clamantem, et præ foribus jacentem nunquam eos elevarit. Quando ergo in prosperis et pace hujus mundi sint, obdormiunt homines, ut salutem suam negligant; quid mirum si excitentur variis tempestatibus a Christo, qui neminem vult perire, quantum stat per ipsum.

Quoniam igitur tanto, ut vidimus, jure excitata est a Christo hæc tempesta, et excitatur adhuc crebro in Ecclesiæ navi, mirari desinamus. Credamus potius in Deum, qui propter incredulos nos punit: fugiamus peccata, quando propter ea nos punit: fugiamus per orationem et pia opera ad eum, quia ad hoc nos punit: timeamus et amemus eum, qui a somno nos excitat: laudemus denique eum, qui ad extremam tranquillitatem facit.

que deque vertendos tradunt, tamquam fidissimo et peritissimo gubernatori. Quod imprimis fecit S. Chrysostomus, qui ab Augusta in exilium pulsus sic locutus est homil. XI. ex variis, tom. V. « Christus mecum est quem timebo? Etiam si fluctus insurgent, etiam si totum pelagus adversus me conturbetur, etiam si principium furor, omnia mihi illa araneae erunt, et araneis fragiliora, et nisi propter fragilitatem vestram hodie non dubitarem ire, quo vellem; semper enim dico: Domine voluntas tua fiat, non quod ille vult, vel ille, sed quod tu vis, tua voluntas mihi turris fortissima, et petra stabilis, et baculus fidus: si tu vis permanere mecum, hic habeo gratiam: si non vis, similem refero gratiam. » Qui in terra infestantur ab hostibus vel bestiis, in mare se recipiunt: uti fecerunt aecolae maris Hadriatici, qui Attila Italiam vastante, confugerunt ad piscatorum casas in eo mari tunc sitas; (unde ortas volunt Venetias, vel adactas saltem, uti Blondus, libro III. histor. et alibi) ibique asylum reppererunt. Qui in afflictione sunt, melius refugium non facile inveniunt, quam si Dei voluntati et gubernationi se committant; sic enim facilius eum flectent ad misericordiam et mitigandam afflictionem, quam si per impatientiam ei resistant, et subtrahere se velint. Intellexit hoc David, quando oblatione data, ad unam e tribus plagis eligendam, famem septem annorum, aut trium mensium hostilitatem, aut trium dierum pestem, hanc ultimam elegit, causam asserens: *Melius ut incidam in manus Domini (multae enim misericordiae ejus sunt) quam in manus hominum*, II. Reg. XXIV. Ad hostium incursum jam praevium, similiter ad famem evitandam providere sibi poterant. Sed maluit se Deo committere, ut patri. Citius enim Deus lacrymis et poenitentia movetur ad misericordiam, quam homines; et remisisse Deum aliquid de constituta pestis vindicta, non obscure indicat Scriptura, dum refert edoctum a propheta Gad Davidem, qui plagam illam sopire posset. Quid quod etiam principes cum rei alicujus delicti se ipsorum sceptro sponte puniendos ad eorum nutum submitunt, plerumque gratiam impendunt: quanto magis a Deo hoc sperandum, cujus ut David, *multae*, hoc est, multo majores sunt misericordiae?

Deinde si committimus nos Dei voluntati, faciet Deus id quod pro nobis erit: imo et quod volumus, secundum Deum tamen. Expertus est hoc in se S. Anselmus Cantuariensis archiepiscopus qui cum regno Angliae a rege sibi infenso exire coactus, navim emigraturus insecundisset, venti ei contrarii sese opposuerunt, ita ut nautae concluderent, eo sibi, unde solverant, remeandum

esse. « Ingemuit Anselmus ad ista, et ait: Si omnipotentis Dei judicio placet me magis redire ad pristinas miseras, quam liberatum ab illis tendere ad id, quod ipse novit me animo proposuisse, ipse videat, ipse dispenset: ergo voluntati ejus obsequi paratus sum; nec enim meus sed ipsius sum. Dixit, et suffusus in lacrymas oculis ejus, illico ventus ex alto latere surgens, velum percussit, et nautas jam velo reflexo, terram petentes, ad priorem cursum reverti coegit. » Ita Edinerus, in ejus vita 21. april. apud Sur. Ecce ad resignationem Anselmi, Dei voluntatem, venti mutantur, ducuntque eum quo tenderat: et navis perforata aquam non admittit. Ad haec certus est, propter Dei voluntatem nihil adversi tibi evenire posse, quidquid machinentur homines, aut creaturae aliae. Quid magis nocere nobis potest aut cupit, quam maligni spiritus? At hi tamen nihil possunt, nisi Dei permissu. Exprobravit id demonibus S. Antonius, et ligatam eorum in se potestatem deridebat, adeoque provocabat: « Si aliqua (dicebat ad bestiarum greges circa se congregatos) a Domino in me vobis est tributa licentia, devorate concessum. Sin autem demonum huc venistis impulsu, quantocius abite, quia Christi famulus sum. Ita factum est, et ad jubentis vocem omnis belluarum multitudo, quasi majestatis verberere cederet, aufugit. » Ita S. Athanasius, in ejus vita, cap. XXVI. Idem expertus est ejus discipulus, S. Hilarion, qui ut famae suae celebritatem fugeret, mari se commisit, alio navigaturus; in ea navigatione occurrunt e piratae in duobus myoparonibus, iis, qui cum Hilarion erant, maximum terrorem incurrentes. « Quos ille procul intuens, subrisit, et conversus ad discipulos dixit: Modicae fidei quare trepidatis? Numquid plures sunt hi quam Pharaonis, exercitus? Tamen omnes, Deo volente submersi sunt. Loquebatur hic, et nihilominus spumantibus rostris hostiles turbae imminabant jactu tantum lapidis medio. Stetit ergo in proa navis, et porrecta contra venientes manu: Hucusque, ait venisse sufficiat. O mira rerum fides! Statim resiliere naviculae, et impellentibus contra remis, ad puppim impetus redit. Mirabantur piratae, post tergum se redire nolentes; totoque corporis nixu ut ad navigium pervenirent, laborantes, velocius multo quam venerant, ad littus ferebantur. » Ita S. Hieronymus, in ejus vita. Ad extremum cogita eventurum circa te id, quod Deus vult, sive tu volueris, sive non, adeoque longe utilius esse conformare se voluntati ejus, et quidquid ipse immiserit, aequo et hilari animo accipere, quam aegro et molesto: quod aliud non esset, quam aggravare sibi jugum: velut si quis

militem jussus in hospitium suum accipere, relictetur, postea a magistratu ad hoc cogatur; quo casu habebit hospitem sibi inimicum, quem si lubens primo acceptasset, amicum et benevolum haberet. Alphonsus IV. Longionis in Hispania rex, cum quinto anno post sumpta imperii insignia regno abiisset, et monasterium ingressus, Ramiro II. fratri (vel ut alii Ramiri germano) dimisisset, postea facti poenitentis abjecto religioso habitu, resumere regnum tentavit. Verum a fratre captus, erutis oculis in monasterium, quod deseruerat, retrusus est; ubi postea caecus et nolens permanere, qui videns et volens noluit, usque ad mortem compulsus fuit, Fulgos. lib. I. cap. II. Ritus Neapolit. lib. II. de regib. Hispan. Idem propemodum contigit ei, qui suam voluntatem divinae opponit: quod enim ab ipso sibi immisum non acceptat volens, sustinebit nolens.

II. Est desertum, h. e. conscientia inculpata, sita in recessu cordis, veluti desertum aliquod, in quo quis solus cum solo Deo agit et habitat. In hanc se recepit David, qui Ps. LIV. dixit: *Quis dabit mihi pennas sicut columbae, et volabo, et requiescam? Ecce elongavi fugiens, et mansi in solitudine: expectabam eum, qui salvum me fecit a pusillanimitate spiritus et tempestate.* Negat D. Gregorius, in Ps. VI. poenitent. Davidem toto populo imperantem, habitasse aliquando in deserto; loqui igitur ipsum, ait, de solitudine cordis, in qua tumultus populares effugerit. Quod verum existimo, saltem de tempore, quo imperavit, et de stabili mansione; nam in fuga Absalonis quaesivisse eum latebras in campestribus deserti, legimus II. Reg. XV. Refugium ergo Davidis in tempestate et persecutione hostili fuit bona ejus conscientia. Unde S. Hieron. in eum locum scribit: « Columba fugit a conversatione humana, et sancti fugiunt a consortio hominum, non corporaliter, sed spiritualiter, h. e. in conscientia; quia cogitant, quomodo se contra suggestionem diaboli vel haereticorum, defendere debeant. » Similiter et S. August. in eundem psalmi textum scribit: « Mansi in deserto. In quo deserto? Si forte in conscientia, quo nullus hominum intrat, ubi nemo tecum est; ubi tu et Deus est? » Et mox: « Mansi in deserto. Forte iste, ut dixi, fugerat ad conscientiam suam, ibi aliquantum desertum invenerat, ubi requiesceret. » Sed cur ad conscientiam David potissimum confugit in tribulationibus?

Causa est, primo, quia ibi invenitur testis propriae innocentiae. Est enim conscientia quasi *corde scientia*, ut inquit Hugo de anima, lib. II. cap. II. quae velut irrefragabilis testis tuetur suam causam, et contestatur puritatem, etiam coram

divino tribunali, quasi murus quidam aeneus, omnes hostium ictus ridens et excludens. Eo confugit et provocavit David, quando ad Saulem deprehensum et impune dimissum dixit: *Judicet Dominus inter me et te, et ulciscatur me Dominus ex te: manus autem mea non sit in te*, I. Regum XXIV. Eodem confugit Paulus, quando Act. XXIII. in concilio sacerdotum velut inter latrantes canes constitutus, defendere se cepit. *Ego*, inquit, *omni conscientia bona conversatus sum ante Deum, usque in hodiernum diem.* Vult dicere, ut exponit Chrysost. *Non sum mihi conscius quod vos laeserim, nihil dignum hisce vinculis commisi.* Et hoc dixit intendens in concilium, ait Lucas, seu, ut sonat vox Graeca, *fixis oculis intuens*, quasi dicat, animo intrepido; qui enim rei praesertim in concilio accusati, oculos suos dejiciunt, nec intueri fixo obtuto judices audent. Innocentia ergo Paulo hanc audaciam praestitit, et asylum fuit. Ita et alii martyres omnes infracto prorsus animo steterunt ante praesides. Inter eos S. Tiburtius jussus a Fabiano praefecto oculis Christum negare, aut tormenta experiri: *Decerne*, inquit, *quod lubet, omnis nobis vilis est poena, ubi pura est comes conscientia*, in vita S. Sebastiani, apud Sur. 20. jan.

Secundo, ibi inveniuntur bona et laudabilia opera, quae non solum a poenis eximunt et contra accusatores defendunt, verum etiam laudem et praemia exigunt. Haec invenit rex Ezechias, cum lethali infirmitate tactus, confugit ad asylum conscientiae suae. Convertens enim faciem ad parietem oravit: *Obsecro, Domine, memento, quae in corde perfecto, et quod bonum est in oculis tuis fecerim*, Isa. XXXVIII. « Non gloriae, ait S. Chrysost. hom. LXIII. ad pop. non regni, non opiparae meministi mensae, sed justitiae, » qua ratione videlicet idola exterminavit, vasa Baal confregerit, serpentem aeneum pro numine adoratum comminuerit et conflavit et similia. Haec mercedem expostulant non poenas. Unde in eum locum S. Hieronymus: *Felix conscientia*, inquit, *quae afflictionis tempore bonorum operum recordatur.* Et Sanctus Cyprianus, serm. de opere et eleemos. *Praeclara*, ait, *et divina res salutaris operatio, solatium grande credentium, securitatis nostrae salubre praesidium, munimentum spei, medela peccati.* At cur Ezechias in ea oratione convertit faciem ad parietem? An forsitan ut ab hominibus faciem averterendo ad solitudinem conscientiae suae se converteret? Ita mihi videtur: ibi enim justus reperit asylum suum, cum non mala sed bona deprehendit opera et bene merita sua.

Tertio, ibi invenitur Deus tamquam consolator innocentium et vindex tyrannorum, qui eos per-

sequuntur. Testem advoco S. Chrysostomum, qui hom. LXI. in Genesin scribit: « Quando quis munda fuerit conscientia, et ab omni liber macula poterit Dominum universi habere inhabitantem. Beati enim, dicit, mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Quod si quis illum inhabitatorem habere meretur, quasi simpliciter et sine impedimento corpore vestitus esset, ita postea afficietur, et humanarum rerum umbram facile condemnet. » Moyses et Aaron, quando contra eos tumultuari cepit populus, fugerunt ad tabernaculum, Num. XVI. Ibi inveniebant Deum, sui defensorem, in ligneo, inquam et mobili illo tabernaculo, quod secum per omnia loca ferebant. Hujusmodi asylum est pura conscientia, quam circumferimus undique nobiscum, et in qua reperimus Deum defensorem nostrum: ubi etiam anima a peccato libera est, ibi Deum in se habet, qui utique domum suam tuebitur; juxta id Exod. XIV. ¶ XIV. *Dominus pugnabit pro vobis, et vos tacebitis*, contra Pharaonem scilicet uti factum.

III. Est mons, hoc est, spes primo, auxilii et providentiæ divinæ: ad quem confugit imprimis David, quando dixit Ps. CXX. *Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi*. Montes intelligit, in quibus sita erat Jerusalem, templum et arca. Eo respexit etiam et confugit Abraham, quando fidelium Dei jussu immolaturus ascendit cum eo in montem, ipsique interroganti: *Ubi est victima holocausti?* respondit: *Deus providebit sibi victimam holocausti, fili mi!* credens in spem contra spem (ad Rom. IV.) Deum sibi in tribulatione adfuturum, sive in resuscitando ad vitam filio, sive in substituenda alia victima, uti factum, quando manus ferientis ab angelo inhibita et aries pro filio immolandus ei demonstratus est. Ex quo mons ille nomen accepit, *Dominus videbit*, seu *Dominus providebit*, Gen. XXII. « Hoc autem, inquit ibi D. Hieronymus, apud Hebræos exivit in proverbium, ut si quando in angustia constituti sunt, et Domini optant auxilio sublevari, dicant: In monte Dominus videbit, hoc est, sicut Abraham misertus est Dominus, ita miserebitur nostri. » Eodem proverbio nos Christiani et multo quidem magis uti ad solatium nostrum possumus, cum in tribulatione sumus: et qui Abrahamo in ea angustia manum auxiliarem porrexit, suppeditando ei aliam pro filio suo victimam, idem porriget et nobis. In hunc montem levavit oculos Susanna, quando ex falsa delatione injuste condemnata *frens suspexit in cælum*, a Deo auxilium postulans, quod inter homines non invenit. Nec frustra: excitavit enim Deus illico spiritum Da-

nielis, qui detexit innocentiam ejus et vitam servavit, Dan. XIII.

Secundo, spes saltem futuræ retributionis et gloriæ cælestis, quæ expectat patientiam justorum, de quo dicitur, Exod. XV. *Introduces eos et plantabis in monte hæreditatis tuæ, firmissimo habitaculo tuo*. Ubi enim hæreditas nostra, ubi firmissimum habitaculum, nisi in cælo? In hunc mundum direxit Christus discipulos, quando post prædicationem crucis et multorum laborum, ab ipsis aliquando ferendorum, duxit eorum tres in montem Thabor, ut aliquid gloriæ specimen eis ostenderet, quo aliquando recogitato in suis persecutionibus, animos resumerent fugerentque ad montem, et spem gloriæ. Etenim si Petrus in illa speculatione, unius tantum dotis corporis Domini, claritatis scilicet, tanta suavitate perfusus, et quasi inebriatus fuit, et sui oblitus, nihil jam in mundo aliud desideraret, quid erit torrente voluptatis potari in cælo? Neque est, quod metuat quis, ne spoliatur ea mercede, si ipse sibi fidelis custos sit, quia reposita est in manu Dei. Sed neque diu valde merces illa expectanda, quia *cum dederit dilectis suis somnum, ecce hæreditas Domini filii merces*. Quisquis ergo in afflictione est, ad hunc montem se recipiat, et asylum inveniet. Eo se recipere solebat David, cum in tribulatione esset, ut indicat, Psalm. XVII. illis verbis: *Perfecit pedes meos tanquam cervorum, et super excelsa statuens me*. Cervi cum fugiunt venatores in celsos montes properant, et ubi tutum consistunt, ut ait Euthymius in similem textum, Habac. III. ¶ XIX. At ubi vel quando David cervorum celeritatem assecutus ad montes cucurrit? Quando spe cælestis gloriæ celerrimis cogitationibus ad cælum se libravit, et ibi refugium suum invenit. Unde S. Gregorius, lib. XVI. moral. c. X. ait: « Electorum montes cervi dicuntur, dum quæque in hoc mundo obviantia obsistere sibi conspiciunt, contemplationis saltu transcendunt, et more cervorum despectu terrenarum rerum sensibus in suprema, id est, æterna se evehunt. » Fuit etiam in ejusmodi venatione nimium quantum agitatus sanctus ille Job, ita ut undique circumspiciens nullum reperiret locum, in quo eadentem erigeret animum, uti lamentatur, e. XIX. *Venerunt latrones ejus et fecerunt sibi viam per me, et obsederunt in gyro tabernaculum meum. Fratres meos longe fecit a me, et noti mei quasi alieni recesserunt a me. Dereliquerunt me propinqui mei, et qui noverant me, oblitum sunt mei. Inquilini domus meæ et ancillæ meæ sicut alienum habuerunt me, et quasi peregrinus fui in oculis eorum. Servum meum vocavi et non respondit, ore proprio deprecabatur*

illum. Habitum meum exhorruit uxor mea, et orabam filios uteri mei. Stulti quoque despiciebant me, et cum ab eis recessissem, detrahebant mihi. Abominati sunt me quondam consiliarii mei, et quem maxime diligebam, aversatus est me. Quare obsecro esse potest major desolatio? At vide ad extremum, quo hic servus se recipiat. Scio (subdit paucis interjectis) quod redemptor meus vivit, et in novissimo die de terra surrecturus sum, et rursum circumdabor pelle mea et in carne mea videbo Deum, etc. Reposita est hæc spes mea in sinu meo, q. d. hanc spem velut rem mihi omnium charissimam securo loco reposui, ubi eam nemo aufert mihi, nec oblivio sepeliet. Hunc sanctum et magnanimum virum imitemur nos auditores. « Affecit te aliquis ignominia, (inquit S. Basil. homil. de gratiarum actione) quin tu ad eam suspice gloriam, quæ reposita in cælis est, tibi paranda merito patientiæ. Jacturam rerum tuarum adisti? Oculos imprime fixius cælestibus divitiis et thesauro incomparabili, quem tibi bonorum operum pretio seposuisti. Patrio te solo exclusus es? Et patriam habes cælestem illam Jerusalem. Ad eum mundum si iis, quæ molestiam tibi nunc pariunt opposueris, quæ sperantur bona, animam tuam ab omni anxietate servabis, ad quod nos invitat sanctio legis apostolicæ semper gaudere. » Ad Philip. IV.

Hæc via sequemur Christum, a tumultuante turba ad navim se recipientem: quo modo eum secuti dicuntur ejus discipuli in hodierno evangelio. Sequamur eum una cum illis; quia propter nos ad asyla illa, cum ipse necesse non haberet, se recepit; ut quemadmodum cerva docet hinnulum suum confugere ad silvas, montes, petras, ante eum currendo, ita et ipse nos instrueret, quo confugere debeamus in periculis et necessitatibus nostris. Sequamur ergo parentem nostrum, et quacumque tandem instante necessitate recurramus ad asyla a Christo demonstrata: ad naviculam imprimis conformando nos per omnia Dei voluntati: ad desertum ingrediendo securam conscientiam: ad montem, expectando Dei opem; et si hæc non suppetat, in futuro saltem mercedem copiosam.

CONCIO V.

SOLATIA ANIMARUM PURGATORII.

I. Quiescunt super cervicali gratiæ. — II. Sunt securæ de perseverantia in gratiæ. — III. Sciunt sibi a patre amantissimo penam infligi. — IV. Bona societate gaudent.

THEMA.

Ecce motus magnus factus est in mari, ita ut navicula operiretur fluctibus, ipse vero dormiebat. Matth. VIII.

Intueri mihi videor, in fluctuante hac navi-

cula et maris tempestate, imaginem purgatorii, in quo detentæ animæ jactantur et torquentur gravissima tempestate plurimorum cruciatuum. Christus Dominus mare trajecturus in tempestatem incidit, horridam et immanem; interim tamen dormit, quasi nihil sentiens; cum tamen jactationem illam utique sentiret. Conscenderunt etiam animæ fidelium, a corporibus solutæ, cymbam mortis, trajecturæ ad alteram vitam et portum æternæ felicitatis. Sed enim in trajectu pleræque interceptæ sunt ab immani tempestate ignis purgatorii. Hinc clamores et lamenta ad nos viventes: *Miseremini nostri, miseremini nostri, saltem vos amici nostri*. Interim tamen negari non potest, ipsas etiam dormire in ea tempestate, quasi in molli culcitra. Neque enim frustra toties apprecatur eis Ecclesia, et nos cum ea, quando dicimus: *Requiescat in pace*. Quiescunt igitur animæ illæ, sed nondum in pace quod illis precamur. Quando vero hoc non parum facit ad solatium nostrum, qui et ipsi pertimescimus nimium quantum sæpe; tempestatem illam videamus, et ex somno Christi illarum quietem investigemus.

I. In media hac tempestate Christus dormiebat *super cervicali*, ut ait Marcus, c. IV. Suaviter autem dormit, qui in cervicali dormit: dure et gravate, qui sine cervicali. Cervical hoc est gratia Dei, in qua se constitutas norunt animæ purgantes; norunt, inquam, partim ex particulari suo judicio, partim ex motu amoris in Deum, partim ex aliis argumentis; et quidem certo. Quam suave est hoc cervical! Certe tam suave, ut non commutarent id, junctum etiam penis, quas patiuntur, cum quovis mollissimo thoro peccatorum hujus mundi. Beata Christina virgo mirabilis et illuminatissima dicebat: *Ego vel apud inferos mallet esse cum Deo, quam in cælo cum angelis sine Deo*, in vita S. Lutgardis, refert Thom. Cantipr. XVI. jun. apud Sur. Unde plane a potiori consequitur animas illas purgantes centuplo libentius esse in purgatorio, quam hic vel ad unam noctem dormire in peccato. Habent enim ibi Deum secum, quo hic carent peccatores. Exemplo nobis sit S. Laurentius, qui in craticula semitostus mediis in cruciatibus gaudio perfundebatur et insultabat tyranno. Unde vero hoc, nisi quia sciebat se Deum secum habere? *Segnior fuit ignis, qui foris ussit, quam qui intus accendit*, inquit S. Leo, in ser. de ipsius natali. Ex una quidem corporis parte urebatur Laurentius, et vehementer cruciabatur ex altera, tamen non urebatur, sed refrigerio mulcebatur: ita purgantes animæ tametsi ex parte una dire patiuntur, ex altera tamen mire recreantur, ob gratiæ refrigerium. Denique præsentiam. In lacu Asphaltite seu mari mortuo, viva animalia inna-